



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 8. Fridericus Palatinus ab exilio suo in Palatinatum clam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. rios, tum etiam in cives armatos im-
 A. C. 1622. manius grassante.

§. VIII.

*Fridericus Palatinus ab exilio suo in
 Palatinatum clam reversus.*

*Barre Hist.
 d' Allem.
 tom. 9.
 Lotich. rer.
 Germ. l. 9.
 cap. 4.
 Caraf.
 Germ. rest.
 pag. 128.*

De Mansfeldii, & Halberstadiensis
 Pseudo - Episcopi victoriis fama
 volando tantopere excreverat, ut Fri-
 dericus Palatinus in novas inde spes
 erectus, ac sui apud Batavos exilii
 pertæsus, in Palatinatum reverti de-
 cerneret, spe concepta, quod sua
 præsentia potentes in Germania fau-
 tores sibi conciliare, rebusque suis
 desperatis remedium saltem redinte-
 grato bello quærere posset. Hanc in
 rem Amstelodami tentoria & impedi-
 menta quamplurima pro suo exercitu
 navibus imponi curabat, simulque, an-
 tequam iter aggrediretur, literas ad
 Electores, Principes, & Status Pro-
 testantes præmisit, quibus haud dissi-
 mulanter Hispaniæ Regem & Bavarix
 Ducem velut pronuntiatiæ in eum pro-
 scriptionis Authores traduxit, adver-
 sus Cæsarem questus, quod immerito,
 causa indicta, Palatinatu & Septem-
 virali dignitate exu us fuisset, eique
 expetitur Turcarum auxilium falso im-
 putatum esset, necnon Mansfeldii,
 Jægern-

Jægerndorffii, aliorumque expeditio in Sæc. VII.
 necessariam sui defensionem adornata in A. C. 1622.
 seditionis invidiam pertraheretur. His
 de caussis Principum opem implora-
 bat, ut cruenti hostium progressus siste-
 rentur, & restituta pace Religionis li-
 bertas conservaretur. Verum ejus
 preces nullum ad miserationem flecte-
 bant præter Georgium Fridericum Ba-
 do-Durlacensem Marchionem, qui Cæ-
 sari, eoquod superiorem Marchiona-
 tum Badensem legitimis Eduardi Mar-
 chionis Filiis restituere jussus esset, in-
 sensus, tredecim peditum & Equitum
 tria millia conscripsit, lapsas Palatini
 res pro viribus promoturus; qui etiam
 per Hohenzolleranum Comitem de tanti
 apparatus causa, a Cæsare rogatus,
 consueto tum rebellium commento, se
 pro suarum ditionum defensione arma
 sumpsisse respondit. Accepto autem
 tam opportuni subsidii nuntio Frideri-
 cus Palatinus iter suum accelerandum
 ratus, assumptis secum Michelovitio
 Bohemico Dynasta, & quodam Mercat-
 ore Argentinenfi portu solvit, ac tri-
 duum spatio in Gallias appulsus, Pari-
 sios venit, ubi nemini cognitus, ipsum
 Regem publice prandentem vidit: dein
 per Austrasiam delatus, cum in qua-
 dam taberna pernoctaret, ab hospitis
 conjugæ, quæ ex picturæ similitudine
 faciem

Sæc. XVII. faciem ejus agnoverat, pene proditus
A. C. 1622. fuisset, nisi se deceptam socii fuissent
 testati: inde vero in Alsatiam profectus
 in quodam diversorio in oppido Bitsii in
 duodecim gregarios Leopoldi Archiducis
 milites incidit, qui se præfente, minime
 tamen cognito acerba prorsus convitia in
 Palatinum militari licentia jaciebant, quibus
 etiam in Cæsaris salutem egregie potantibus,
 & pro more poculum propinantibus respondere
 cogebatur. Hoc periculum eluctatus, concubia
 nocte discessit, continuatoque itinere in
 Ducatum Bipontinum, inde Landavium per-
 venit, ubi Löwensteinio Comiti, qui Mansfeldii
 nomine urbi præerat, sese manifestans die
 duodecima Aprilis Germensheimium per-
 venit, a Mansfeldio, qui ibidem tum agebat,
 summa gratulatione exceptus.

§. IX.

*Mansfeldii negotiatio de milite dimit-
 tendo cum Bruxellensi Legato rescissa.*

*Brachel.
 Hist. l. I.*

Eodem temporis momento Mansfeldius Comes, qui hucusque Frid-
 rico operam suam deprædationum merce-
 de locaverat, eam Hispano venalem
 exhibebat, jamjam cum Rovillano Ista-
 bellæ